

Planetarum atq; stellarum fixarum loca figuræ  
 cœli doctè ac rectè inferere.  
 Canon XX.



ER præcedentem erige figuram duodecim domiciliorum cœli, aut per aliquem alium modum, deinde diligenter considera, an locus planetæ ex ephemeride sumptus, sit de signis & gradibus inter medijs duarum proximarum cuspidum domorum, uel non, nam si fuerit de illis, locum eius in hanc eandem domum tuæ figuræ impone. Sic eodem modo uide etiam in alijs domibus, planetam in hanc domum intrudendo, quæ scilicet domus gradum planetæ comprehendit. Si autem planeta habuerit latitudinē, fueritq; prope cuspidem alicuius domus, continget eundem interdum cadere in domum sequentem, & interdum in præcedentem, iuxta magnitudinem latitudinis ac partem eius. Sed quia res ista laboriosa incipientibus uidetur, missam in præsentiarum eam faciemus, qui uero curiosius & exactius hæc rimari uoluerit, tabulas directionum doctissimi M. Ioannis de Monte regio consulat, problemate 21.

Hic etiam summe notandum uenit, quòd apud Astronomos dies æquales usurpentur tantum pro motuum inquisitione conficte necessario, & ideo omnis motus diebus æqualibus quæritur, & non inæqualibus. Eam etiam ob rem omnes coniunctiones, oppositiones, & quadraturæ, ex tabulis calculatæ, sunt æqualium dierum, sicut & eorum motus. Sed ut etiam inæqualibus fierent diebus, addita est eis æquatio dierum. Nam etiam iuxta tempus hoc inæqualium dierum sumitur ascendens. Est enim tempus horarum inæqualium dierum, siue naturalium, siue differentium, siue realium, quod ubiq; apud omnes in rerum natura est, & numeratur. Hoc tempus aptum minime est pro motuum inquisitione. Quare si motum cupis pro dato tempore, subduc æquationem dierum a tempore dato, ut fiat æqualium dierum pro motuum collectione aptum. Quare etiam tabella Lunæ infra posita, subtrahit a loco Lunæ minuta, quæ conueniunt æquationi dierum, ut Locus Lunæ ad dies inæquales fiat. Quare si locum Lunæ themati coniunctionis, oppositionis, aut quadraturæ imponere cupis, quære primo locum Solis illius diei in tabula Lunæ sequenti, signum in fronte, gradum autem, aut uiciniorum in latere sinistro, & in angulo communi offendes minuta ex lunari motu ad quoduis tempus supputato demenda, propter æquationem dierum.

Est etiam aliud aduertendum in lunari motu propter diuersitatem meridianorum contingens. Nam ephemerides ad unum certum meridianum supputatæ sunt. Quare ad alia insignia loca, quæ sub alio atq; alio meridiano sita sunt, qui his laboribus æque uti desiderauerit, motui Lunæ ut supra uerificato, minuta in tabella insignium ciuitatum, sub caractere D è regione ciuitatis, reperta, adimat, uel abijciat, pro ut literæ A. uel M. iisdem minutis fuerint adiectæ. Planetæ autem cæteri ob tarditatem motus eorum, hac faciendi formula non egent.

Tabella